

8.43.21

*Idem AA. et CC. Rufo.*

Interest multum, utrumne spe futurae numerationis suscepisse te, quod instrumento continetur, scripsisti, an accepta minore quantitate, tantum, quantum lectio probat, in scriptura conferri placuit, Nam superiori quidem casu residui petitio debiti manet integra: posteriori vero consensu transactionis finitis stare convenit.

*S. III non.. Dec. CC. consss.*

[a. 294]

8.43.22

*Idem AA. et CC. Grato.*

Inductum, id est cancellatum, nec ne sit chirographum, vestrum solutionem semel debiti factam ei, qui exigendi potestatem habuit, probantium nihil interest.

*S. V id. Dec. CC. consss.*

[a. 294]

8.43.23

*Idem AA. et CC. Vatio.*

Si litterarum Auxanonis contemplatione, quas ad Aristonem de numeranda tibi pecunia dederat, recepisse scripsisti debitum ab Aristone, mandato non impleto, cum petitio debiti manet integra, nihil legitimam exactionem impedire potest.

*S. XV k. Ian. Nicomediae CC. consss.*

[a. 294]

8.43.24

*Idem AA. et CC. Rufino.*

Cum pro pecunia quam acceperas, secundum placitum Euandro te fundum dedisse profitearis: eius industriam, vel eventum meliorem tibi, non ipsi prodesse, contrarium non postulaturus, si minoris distraxisset, non iusta petis.

*S. VII k. Ian. Nicomediae CC. consss.*

[a. 294]

8.43.25

*Idem AA. et CC. Antelliano.*

Solutionem adseveranti probationis onus incumbit: quo facto chirographum condicere potest.

*S. III k. Ian. Nicomediae CC. consss.*

[a. 294]